

lebant. Quibus exemplis per breves subiectiones respondet, ostendens ita intelligi non posse.

*Moyſi enim dixit: miſerebor cui miſertus ſum? & miſericordiam preſtabo.* Hoc recto ſenſu ita intelligitur: Illius miſerebor quem præſcivi poſſe miſericordiam promereri, ut jam tunc illius ſim miſertus.

*Cui miſerebor.* E contrario Judæi ſermo eſt. Igitur non volentis neque currentis. Et iterum: ergo cujus vult miſeretur; & quem vult, indurat. Non enim Apoſtolus tollit quod in propria voluntate habemus: qui ſuperius dicit: Ignoras quia bonitas Dei te ad penitentiam adducit? Et iterum Timotheo ſcribit: In magna autem domo, non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia. Et quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam. Si quis autem mundaverit ſe ab his, erit vaſ in honorem ſanctificatum.

*Igitur non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Hoc loco Paulus Apoſtolus uſque ad illum locum: Quid enim adhuc queritur? voluntati enim ejus quis reſiſtere poterit? perſonam de contrario aſſumit, venientis & dicentis: non eſſe in nobis, aut rectè, aut malum agere, ſed in Dei arbitrio conſtitutum: qui cujus vult, miſeretur: & quem vult indurat. Homo tu quis es qui contradicas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui ſe hincit, quid me feciſti ſic? Nunc Apoſtolus contradicentem ſibi ſuperius increpat, ostendens hoc ipſum quod dicit: Cujus vult, miſeretur: & quem vult indurat: & quid adhuc queritur? Voluntati enim ejus quis reſiſtere poterit? Ex hoc igitur demonſtrat eum eſſe proprii arbitrii, vel voluntatis: quod ſi ut ipſi è contrario veniens dicit: Cujus vult, miſeretur Deus: & quem vult indurat: nihil differt, quod figulus tractat in manibus: quod fingendi ex ſe vaſ aliquid contradicere non poteſt, quid ex eo vult efficere: hic autem in eo in quo contradicit, queritur de Dei voluntate, ostendit liberi eſſe arbitrii: qui audeat de Dei judicio retractare. Item ſi non eſt volentis neque currentis, ut quidam putant: quare ipſe currit, dicens: Curſum conſummaſti. Et alios ut currentes, adhortatus eſt, dicens: Sic currite ut omnes comprehendatis. Unde intelligitur quia hic interrogantis voce utitur, & redarguentis potius, quam negantis.

*Dicit enim ſcriptura Pharaoni, Quia in hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam: & ut annuncietur nomen meum in univerſa terra.* Hoc & illi male proponunt. Sed hic locus duobus modis à diverſis exponitur: Sive quod uniſquiſque modum & ſinem peccatorum ſuorum implet ut puniatur, ſicut Sodomita & Amorraei. Hic ergo jam modum exceſſerat, & ideo voluit Deus quaſi de jam perituro aliis providere: ut populus ejus agnoſceret juſtitiam ipſius atque virtutem: ut nec peccarent, nec ſuos adverſarios vererentur. Tale eſt hoc quod in Pharaone geſtum eſt: quale ſi medicus de cruciati jam damnati rei multis inveniat ſanitatem, cauſas inquirendo morborum. Vel ſi judex cum poſſit criminolum ſtatim punire ad omnium timorem diverſis poenis afficiat. Sive Dei patientia induratus eſt. Ceſſante enim plaga Dei, durior fiebat: & quamvis ſciet eum non converti tamen etiam in ipſo ſua clementiam voluit demonſtrare.

*Ergo cujus vult, miſeretur: & quem vult, indurat.* Ergo ſi hoc ſic intelligitur: Cujus vult miſeretur, & quem vult, indurat: quod fatiſ iniquum eſt: & ita pro poſitio veſtra concluditur, ut dicatis malitiæ veſtræ non vos eſſe cauſam, ſed Domini voluntatem, cui contradici non poſſit: ſed reſiſtit hic rationi veſtræ ipſa natura juſtitie Dei.

*Dicis itaque mihi: Quid adhuc queritur? Voluntati enim ejus quis reſiſtit?* Apoſtolus contra adverſarios dicit: Dicis itaque mihi: Quid adhuc queritur? Et iterum inferit, & confirmans hoc quod dixerat: homo, tanto magis verè queritur, & juſtè, ex verbis tuis. Nemo enim propriam non habens voluntatem, dicere poteſt de Deo: quid adhuc queritur? Unde rectè arguens ejus imprudentiam, dicit: Tu quis es qui respondeas Deo? Qui enim à Deo induratus eſt, ſicut tu dicis, contradicere ſuo creatori non poteſt, quaſi non habens propriam voluntatem: ſicut & lutum inſenſibilis materia fictori ſuo reſpondere non poteſt: quia in poteſtate figuli poſitum eſt.

*O homo tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui ſe hincit, quid me feciſti ſic?* Quibuldam videtur & hoc adhuc ex ipſorum perſona dicere, quia ipſum eſt dicere, neminem poſſe contradicere voluntati Dei alterius miſerentis, alterum indurantis: & addere neminem Deo reſpondere. Quidam verò dicunt jam hinc Apoſtolum reſpondere: quod etiam

ſi ita eſſet, ut illi calumniantur, non debere eos ſuo reſpondere factori: eo quod tales ſimus ad comparationem Dei, quale ad ſuum eſt luti artificem figmentum. In Græco habet, *ὡς ἄνθρωπος*: quod eſt, ὁ homo tanto magis.

*An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vaſ in honorem, aliud vero in contumeliam?* Secundum hos qui hæc verba Apoſtoli dicunt: maſſam dicit omnes in Ægypto commorantes: quia & Iſrael ibi idolis deſervierat.

*Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam.* Quia illum diu ſuſtinuit blaſphemantem, & populum ſuum variis operibus affligentem. Præterea quòd innoxiam ætatem parvulorum crudeliter juſſerat enecare. Item competens reſponſum: quia patientia & ejus bonitas facit eos qui propriam habent voluntatem vivendi, ſive vaſa iræ, ſive miſericordiæ.

*Suſtinuit in multa patientia vaſa iræ, apta in interitum.* Implendo peccata ſua, vaſa iræ digna ſunt facti, & à ſemetiſiſ ad interitum præparata.

*Ut oſtenderet divitiis gloria ſua in vaſa miſericordiæ, que præparavit in gloriam.* Digni erant miſericordiæ: quia & minora commiſerant, & graviter fuerant afflicti.

*Quos & vocavit, non ſolum ex Judæis, ſed etiam ex gentibus.* Quia & tunc aliquanti Ægyptiorum exierant cum filiis Iſrael: quòd ſi Deus perſonam acciperet, ſolus Iſrael debuit habere ſalutem. Ita & nunc non ſolum Judæos, ſed etiam gentes vocavit ad fidem. Secundum eos autem qui hæc non ex Apoſtoli, ſed ex Judæorum perſona dici putant: Intantum, inquit, quos voluit, ſalvavit: ut etiam gentes elegerit idololatrias, qui nunquam ſervierant Deo: & ex Iſrael paucos vocaret, ſecundum teſtimonium Iſaiæ.

*Sicut in Oſee dicit.* Non populum, duas tribus dicit: & non miſericordiam conſecutam, decem tribus.

*Vocabo non plebem meam, plebem meam.* Hoc loco Judam ſignificat.

*Et non dilectam dilectam: & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam.* Iſraeliticum populum.

*Et erit in loco ubi dilectum eſt eis: Non plebs mea vos.* Gentes demonſtrat in Chriſto credituras: ſicut in Evangelio Dominus per parabola loquitur nuptiali cœna facta, cum Iſrael venire noluiſſet: & pro ipſo gentes vocantur.

*Ibi vocabuntur filii Dei vivi.* Vocationem gentium ſignificat.

*Iſaias autem clamat pro Iſrael.* Communicatio pro ipſis eſſe monſtrat.

*Si fuerit numerus filiorum Iſrael tanquam arena maris, reliquia ſalve ſient.* Paucitatem eorum credituram eſſe demonſtrat.

*Verbum enim conſummans & abbrevians in equitate: quia verbum brevium faciet Dominus ſuper terram.* Hiſtorie hoc habet ſenſus: Sicut ego verbum abbrevio & cito deſinio: ita Deus hoc omni velocitate perficiet. In prophetia autem verbum brevium, novum teſtamentum accipitur: quia in eo breviter comprehenſa ſunt omnia & clauſa.

*Et ſicut prædixit Iſaias.* Bene prædixit: quia ſuperius ſcriptum eſt.

*Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodomia facti eſſemus: & ſicut Gonorra ſimiles fuiſſemus.* Quia non eſt paſſus paucos juſtos perire cum multitudine impiorum in fide, niſi ſemen Abraham Chriſtus fuiſſet miſſus ad populum liberandum qui corruiſſet.

*Quid ergo dicemus, quòd gentes qua non ſcēlabantur juſtitiam, apprehenderunt juſtitiam.* Si ſuperiora ex perſona Apoſtoli dicuntur: hic ſibi iterum proponit: quia poterant dicere, ſi non eſt ita ut dicimus: quia non eſt volentis neque currentis: quomodo gentes invenerunt juſtitiam quam nunquam ante quaſerunt. Iſrael verò quaerens ſemper juſtitiam, non potuit invenire? Si verò totus ſuperior ſenſus contradicentibus applicatur: hic reſpondet Apoſtolus: & breviter recapitulat quaſtionem, dicens: Quid ergo dicemus ad ea quæ nobis obſecta ſunt, niſi quia gentes vocatæ, crediderunt: & illi credere noluerunt.

*Juſtitiam autem qua ex fide eſt.* Quia juſtitia ex fide eſt, cui illi credere noluerunt.

*Iſrael vero ſcēlando legem juſtitie, in legem juſtitie non pervenit. Quare? Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus.* Reddit cauſas, quare non invenerint juſtitiam: quia falſo in operibus gloriati credere noluerunt, quaſi juſtitiam gratiæ repu-

tantes dicens, quoniam populus Judæorum ex operibus legis juſtificari ſe putans, in legem juſtitie id eſt ad fidem Chriſti dedignando non potuit pervenire.

*Offenderunt enim in lapidem offentionis, ſicut ſcriptum eſt: Ecce pono in Sion lapidem offentionis, & petram ſcandali.* Qui videt lapidem, non offendit: qui autem cæcus eſt, impingit. Quod contigit Judæis, quos ſua malitia excæcavit: & Chriſtum non agnoſcentes crucifixerunt: Sed & ideo lapis offentionis & petra ſcandali, prædictus eſt Chriſtus: quia multi in nativitate ejus & paſſione, ſcandalum patiuntur: ſicut ſcriptum eſt: Quia ſcandalizabuntur in eo. Et Apoſtolus ait, Chriſtum crucifixum, Judæis ſcandalum, gentibus ſtultitiam: ipſis verò vocatis, Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam. Unde & hic ſequitur: Qui credit in eo, non confundetur. Petrus quoque dicit, quòd credentibus lapis electus ſit angularis: incredulis verò offentionis.

*Et omnis qui credit in eum, non confundetur.* Non Judæus ſolus, ſed omnes credentes in eo non confundentur de priſtinis delictis.

## Caput X.

**F**RATRES: Voluntas quidem cordis mei, & obſervatio ad Deum ſit pro illis in ſalutem. Hic ſe oſtendit non ſolis labiis, ſed & corde pro inimicis orare.

*Teſtimonium enim perhibeo illis: quòd emulationem quidem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam.* Habent ſcientiam ſcēlandæ legis, ſed non intelligunt quia Chriſtus ſecundum legem venit. Et quia per legem juſtificari non poſſunt: periclitantur revera, ſi ſine ſcientia fiat: quia ſæpe veritatem in contraria.

*Ignorantes enim juſtitiam Dei, & ſuam quaerentes ſtatuerunt: juſtitia Dei non ſunt ſubjecti.* Ignorantes quòd Deus ex ſola fide juſtificat: & juſtos ſe ex legis operibus, quam non cuſtodierunt, eſſe putantes: noluerunt ſe remiſſioni ſubjicere peccatorum, nec peccatores fuiſſe viderentur, ſicut ſcriptum eſt: Phariſæi autem ſpernentes conſilium Dei, in ſemetiſiſ, noluerunt baptizari baptiſmo Joannis. Item quia ſacrificia legis, & cætera quæ umbra erant veritatis: quæ per Chriſtum perficere habebant, præſentia Chriſti ceſſaverunt: cui credere noluerunt: Bene dicit Apoſtolus, juſtitiam ſuam, quia jam non Dei eſt, ſed ipſorum.

*Finis enim legis Chriſtus, ad juſtitiam omni credenti.* Taliſ eſt ille qui Chriſtum credit, die qua credit, qualis ille qui univerſam legem implevit.

*Moyſes enim ſcripſit: quoniam juſtitiam qua ex lege eſt.* Moyſes diſtinxit in Levitico inter utramque juſtitiam: fidei ſcilicet, atque factorum: quòd altera operibus, altera ſola fidei credulitate accedente fiat. Item Apoſtolus offendere volens differentiam juſtitie legis, ac fidei, teſtem vocat Moyſen. Item docentem de juſtitia legis: qui fecerit homo, vivet in ea. De juſtitia autem fidei: Ne dicas, inquit, in corde tuo: quis aſcendet in cælum: hoc eſt, ne dubites credere mandato, quòd futurum eſt annunciare Chriſtum, qui venturus eſt dare tibi juſtitiam ex fide.

*Qui fecerit homo vivet in ea.* Nemo enim illorum vivit: quia in hoc tempore nemo perfecit legem ſine Chriſto: quia & hoc legis eſt, ut ipſi credatur. Quidam ex hoc loco putant Judæos, præſentem tantum vitam ex legis operibus meruiſſe: quòd verum non eſt, Domini verba declarant: qui de vita interrogatus æterna, mandata legis opponit dicens: Si vis in vitam venire, ſerva mandata. Unde intelligimus: quòd qui ſuo tempore legem ſervavit: vitam habuit æternam.

*Quæ autem ex fide eſt juſtitia, ſic dicit: Ne dixeris in corde tuo.* Ille quidem ſecundum hiſtoriam de lege hoc dixit: ſed Apoſtolus illud ad Chriſtum aptat: quia lex nec in cælo fuit, nec in abyſſo. Sive ideo illud ſemper jubet lex meditari, ut ibi Chriſtum valeant invenire.

*Quis aſcendet in cælum: id eſt, Chriſtum deducere: aut quis deſcendet in abyſſum: hoc eſt Chriſtum à mortuis revocare?* Quia Chriſtus Deus & homo eſt, in eo quòd Deus verbum, qui cum in forma Dei erat, ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, factus eſt homo: Propterea dicit: Quis aſcendet in cælum, hoc eſt Chriſtum deducere. Deducere dicitur ſecundum formam Dei: reducere autem ex mor-

tuis, ſecundum formam ſervi.

*Sed quid dicit ſcriptura? Propè eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc eſt verbum fidei, quòd predicamus.* In Deuteronomio. Novum ſcilicet teſtamentum.

*Quia ſi confeſſeris in ore tuo Dominum Jeſum: & in corde tuo credideris, quòd Deus illum ſuſcitavit à mortuis.* Teſtimonium cordis eſt oris confeſſio.

*Salvus eris.* A delictis præteritis cum futuris. *Corde enim creditur ad juſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Ergo ſi fides ſufficit ad juſtitiam, & confeſſio ad ſalutem, inter Judæum & gentilem credentes nulla diſcretio eſt.

*Dicit enim ſcriptura: Omnis qui credit in illum.* In Iſaia. Non ſolum Judæus.

*Non confundetur.* Nolite ergo vos illos confundere de priſtinis actibus: quos ſcriptura dicit confundi non poſſe.

*Non enim eſt diſtinctio Judæi & Græci. Nam idem Dominus omnium: dives in omnes, qui invocant illum.* Unus Dominus omnium, & abundans miſericordia & ſalute, habet unde largitur.

*Omnis enim quicumque invocaverit, nomen Domini, ſalvus erit.* Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? In Joë. De gentibus obſectio Judæorum, quòd Deum invocare non poſſunt.

*Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine predicante? Quomodo verò predicabunt, niſi mittantur.* Quia nunquam ad illos Prophetæ ſunt miſſi.

*Sicut ſcriptum eſt: Quam ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona.* Iſtorum pedes pulchri ſunt: qui pacem annunciant: illorum autem qui annunciant ſæculi curſum, turpes ſunt atque deformes.

*Sed non omnes obediunt Evangelio.* Ergo ſi nec illi omnes obaudierunt, ad quos iſti ſunt miſſi: quanto minus iſti ad quos nemo eſt deſtinatus?

*Iſaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui noſtro? Quis credit quòd auditum à nobis: vel quòd nos à te, ut aliis annunciareremus, audivimus.*

*Ergo fides ex auditu: auditus autem per verbum Chriſti.* Hic reſponſio Apoſtoli.

*Sed dico: Nunquid non audierunt? Et quidem.* Etiam antè illos auſiſſe confirmat.

*In omnem terram exiit ſonus eorum: & in fines orbis terra verba eorum.* Vult hoc teſtimonium per Allegoriam, vocibus intelligi Prophetarum.

*Sed dico: Nunquid Iſrael non cognovit? Gentes eſſe vocandas ad fidem.*

*Primus Moyſes dicit: Ideo primus Moyſes: quia omnes pene Prophetæ poſtea de gentium ſalute dixerunt.*

*Ego ad emulationem vos adducam in non gentem inſipientem, in iram vos mittam.* In cantico Deuteronomii. Antequam crediderunt Deum; non erant gentes Dei. Quasi ergo dicat, eos qui non ſunt gens mea, vocabo: & credent mihi ad veſtram irritationem: ut quibus majores debuiſſis eſſe, gaudeatis æquari: ſicut ſi quis habeat filium inobedientem, & ad corrigendum eum dimidium patrimoniſi ſui det ſervo ſuo, ut tandem ille converſus gaudeat vel ſi tantum accipere mereatur. Sive non eramus gens: quia mortui eramus in peccatis.

*Iſaias autem auſiſt, & dicit: Inventus ſum à non quaerentibus me.* Gentibus quæ non Deum in lege, ſed in idolo ignorantibus requirebant.

*Palam apparui his qui me non interrogabant.* Non Deum ſed dæmonia interrogabant: per augures, & haruſpices idolorum, atque aſtologos.

*Ad Iſrael autem dicit.* Ipſe quia talia gentibus iræ promiſiſt Judæis: ecce qualia comminatur, ut ſciatis utrumque prædictum.

*Tota die expandi.* Toto tempore mirabilia, vel plagas oſtendit: & nec ſic credere voluerunt.

*Manus meas ad populum non credentem, ſed contradicentem mihi.* Extenſio manuum, allegoricè ſignat crucem.

## Caput XI.

**D**ICO ergo: Nunquid Deus repulit populum ſuum. Abſit. Quia fatiſ illos humiliaverat: modo quaſi bonus

doctor consolatur eos, ne illos nimium exacerbare videatur. Non omnes, ait, repulit, nec semper, nisi quamdiu non credunt.

*Nam & ego Israelita sum.* Si omnes repulisset, me non suscepisset.

*Ex semine Abraham, de tribu Benjamin.* Non ex semine profelytorum.

*Non repulit Deus plebem suam, quam praecevit.* Illam plebem non repulit, quam praecevit esse credituram.

*An nescitis in Elia, quid dicit scriptura.* In Regum libro, ubi scriptum est de Elia.

*Quemadmodum interpellat Deum adversum Israel.* Gentibus superbiam tollit, ne gloriantur quod ex Judaeis paucissimi crediderunt: & ipsi soli remanserunt Deo.

*Domine Prophetas tuos occiderunt: altaria tua suffoderunt: & ego relictus sum solus: & quaerunt animam meam.* Omnes Prophetae illa tantummodo sciebant, quae illis fuissent à Domino revelata. Unde & rex Jeremiam dubie interrogat: si in ea hora qua cum illo loquebatur, apud eum sermo Domini haberetur. Sed & Elifeus dicit: quomodo haec Dominus abscondit à me? Ita ergo & Elia hoc loco praeter se esse alios qui Deum colerent, ignoravit.

*Sed quid dicit illi divinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum.* Si Prophetam tanti latuerunt, quanto magis vos nescitis quam multi Judaeorum, & salvati sunt, & salvandi.

*Qui non curvaverunt genua ante Baal.* Non solum immolando idolis servitur, sed etiam delinquendo. Si enim Deus factis negatur, utique & daemones honorantur.

*Sic ergo & in hoc tempore.* Sicut ergo tunc non omnes perierunt, ita & nunc aliquanti salvantur.

*Reliquiae secundum electionem gratiae Dei salvae factae sunt.* Electio gratiae, fides est: sicut opera, electio legis. Ceterum quae electio, ubi nulla diversitas meritorum?

*Si autem gratia, jam non ex operibus.* Ne dicerent illi, de quibus Elia dicitur: Justi erant, isti verò peccatores: quomodo electi sunt, subjicit: quia & ipsi gratis salvati sunt sicut & gentes.

*Alioquin gratia jam non est gratia.* Quia gratuitum munus appellatur.

*Quid ergo? Quod quarebat Israel, hoc non est consecutus.* Ideo Israel totus non est consecutus justitiam: quia eam non ex fide querebat, sed ex solis operibus legis se justificari putabat: cum maxime legis mandata contemneret. Unde à Salvatore arguuntur culicem liquantes, & camelum glutientes. Item propterea, hoc dicit: quia Judaeorum erant promissiones, per quas venturus erat Christus salvare eos à suis peccatis: sed quia venit, & non crediderunt: ideo dicit, Israel non est consecutus.

*Electio autem consecuta est.* Qui per fidem electi sunt.

*Ceteri verò execrati sunt.* Ceteri per infidelitatem execrati sunt: sicut scriptum est: Nisi credideritis, non intelligetis.

*Sicut scriptum est: Dedit illis Deus spiritum compunctionis: oculos, ut non videant: & aures, ut non audiant.* In Isaia. Ante hominem vita & mors: quod placuerit ei, dabitur illi: ne libertas scilicet tollatur arbitrii. Dei ergo dare, permittit esse. Spiritum autem compunctionis, quem desiderabant. Semper enim verbis Dei fuerunt increduli: nam si voluissent habere spiritum fidei, acceperunt. Sed & nunc Christiani, qui de resurrectione dubitant, & praemio ac gehenna, similem sibi spiritum quaesierunt. Hoc enim loco Propheta de infidelibus loquitur. Divina scriptura hoc habet, ut cum unusquisque habeat libertatem faciendi bonum, vel malum, Deum dicat tradere, aut dare: propterea quia ipse est qui dedit libertatem. Haec enim facit ejus patientia: quia non statim peccantibus infert vindictam, nec bonis praemia.

*Usque in hodiernum diem.* Usquequo convertantur: sicut de velamine cordis ad Corinthios dicit.

*Et David dixit: Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in captionem, & in scandalum, & in retributionem illis.* Obscurentur oculi eorum ne videant: & dorsum eorum semper incurva. Aliter: semper incurva onera peccatorum: ut non dimittantur nisi crediderint: quia in passione Christi beati sunt, pascha comedentes. Hoc enim de illis prophetaur, qui salvatorem aceto, & felle potarunt: & tamen ipsis dicit Petrus: & nunc scio: quia per ignorantiam

fecistis hoc: Poenitemini ergo: & baptizetur unusquisque vestrum. Et ipse Paulus post modicum ait: Et illi, si non permanferint in incredulitate, inferentur: ut sciamus quia spiritus compunctionis facultatem illis non abstulit convertendi. Denique statim ipse solvit in sequentibus verbis. Item sacerdotes cum arbitrantur quod si Christum interfecerint, haberent semper mensam sacrificiorum & decimarum: facta est illis in laqueum. Perdidit enim templum, in quo vanam spem habuerunt: & nunc sunt inter gentes maledicti.

*Dico ergo: Nunquid sic offenderunt.* Modo iterum partem revelat Judaeorum.

*Ut caderent.* Abst. Non penitus & irremediabiliter ceciderunt.

*Sed illorum delictum, salus est gentibus: ut illos amulentur.* Usque adeo illos dilexit, ut propter salutem illorum gentes vocarentur: quo eas videntes ad regnum Dei admitti, vel sic facilius converterentur. Item quia dispensatio Dei ita fuit: ut per mortem Christi, omne genus humanum salvaretur: sicut ipse Dominus dicit: Cum exaltatus fuero, omnia ad me traham: ideo dicit: Sed illorum delictum salus gentium. Dicens autem: Ut illos amulentur, ostendit: quia nisi gentes Christo credidissent, reliquiae illorum nunquam salvatae fuissent.

*Quod si delictum illorum, divitiae sunt mundi: & diminutio eorum, divitiae gentium: quanto magis plenitudo eorum? Si delictum eorum tantum vobis profuit: ut sine operibus legis, vos illis faceret cohaerere: & si pauci eorum credentes: omnes vos ad salutem vocarunt: quanto magis si omnes crediderunt, prodesse poterant vobis per doctrinam.*

*Vobis enim dico gentibus.* Vult ostendere, se ad Judaeorum salutem magnopere festinare.

*Quamdiu quidem ego sum gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo.* Quamdiu fuero in corpore constitutus, honorificabo ministerium nostrum: dum exemplo meo, plures eorum salvare contendo.

*Si quomodo ad emulandum provocem carnem meam.* Ut omnimodo talem me exhibeam, ut me desideret imitari.

*Et salvos faciam aliquos ex illis.* Vel aliquantos, quia nolunt omnes.

*Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi.* Repetit quod dixerat superius.

*Quae assumptio, nisi vita ex mortuis?* Unde gentibus assumptio, nisi ex illorum viverent morte? Ex Judaeis mortuis Christus, vel Apostoli vita fuerunt gentibus: Si ve si quos inde liberavero, ad vitam proficient vitam. Item hoc dicit: quoniam sicut gentes per fidem assumptae sunt, ita etiam Judaei, si crediderint, ex mortuis ad vitam tranfibunt.

*Quod si delibatio sancta est, & massa.* Si illi qui pauci ex eis crediderunt, sancti sunt: & omnes si credant. Hic primitias, Christum dicit. Massam autem, populum Hebraeorum, à quibus Christus secundum carnem est.

*Et si radix sancta, & rami.* Radix Patriarchae: rami Apostoli: hoc est, & primi, & novissimi sancti ex ipsis sunt. Item hoc loco radicem, Abraham significat: quoniam propter fidem, pater multarum gentium vocatur. Ramos verò, posteros ejus, fidem similiter retinentes.

*Quod si aliqui ex ramis fracti sunt.* Non propter te fracti sunt, sed propter illos tu infertus es, quia illi fracti sunt.

*Tu autem cum oleaster esses, infertus es in illis.* Olea quidem, sed inculca atque silvestris. Item hoc loco contra naturam gentilem populum inquit dicit radice: hoc est, in fide Patriarcharum: & non secundum naturam arborum quasi in infertum, proprii generis fructum, ferre: sed bonitatem radicis sequi, in quam infertus es.

*Et socius radicis & pinguedinis olivae factus es.* Radicis, patrum: pinguedinis, Christi.

*Noli gloriari adversus ramos.* Quod si gloriaris: non tu radicem portas, sed radicem te. Noli de illorum perditione gaudere: alioquin audies quod non illi per te stant, sed tu per illos. Nect tu illis vitam praestas, sed illi tibi.

*Dicis ergo: Fracti sunt rami, ut ego inserar.* Bene propter incredulitatem fracti sunt. Tu dices ideo illos fractos, ut tu inseraris: Videamus si propterea, & non magis propter incredulitatem suam ceciderunt.

Tu

*Tu autem fide stas.* Non enim Deus personam tuam acciperet, & illos sine causa projiceret.

*Noli altum sapere, sed time.* Quidam hunc locum non intelligentes, nec attendentes causam vel personas, de qua & de quibus loquitur Apostolus, putant sapientiam esse prohibitam. Quod si ita est, secundum illos, invenietur sibi ipse contrarius: qui hic vetat, quod alibi, ut Ephesii & ceteri accipiunt, magnis supplicationibus ad Dominum deprecatur. Noli ergo altum sapere: hoc est, noli contra eos esse superbus.

*Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat.* Si illis non pepercit, propter incredulitatem, qui ex radice sancta sunt: multo minus tibi, si peccaveris.

*Vide ergo bonitatem, & severitatem Dei.* Contra eos qui alium Deum justum, alium alserunt bonum. Et contra eos qui negant Deum in peccantibus vindicare.

*In eos quidem qui occiderunt, severitatem: in te autem bonitatem Dei.* Quia & illi iuste fracti sunt, & tu clementer infertus es.

*Si per manseris in bonitate.* In fide, quae tibi Dei bonitate collata est.

*Alioquin & tu excideris.* Sed & illi, si non permanferint in incredulitate, inferentur. Sin verò, & tu severitatem senties, & illi bonitatem.

*Potens est enim Deus iterum inferere illos.* Apud homines quidem, impossibile est aridos furculos reformare: apud Deum omnia possibilia & facilia sunt.

*Nam & si tu ex naturali oleastro es oleastro.* Quia jam olim patres eorum naturalem legem oblii, degeneraverant à natura: & per successiones peccandi, consuetudine permanente, quasi naturaliter amari & infructuosi facti sunt. Item hoc loco contra naturam gentilem populum inquit dicit in radice: hoc est, in fide Patriarcharum: & non secundum naturam arborum quasi infertum, proprii generis fructum ferre: sed bonitatem radicis sequi in quam infertus est.

*Et contra naturam infertus es in bonam olivam: quanto magis hi qui secundum naturam infertur suae olivae?* Contra naturam est, olivae inferere oleastrum: quia magis ramus foler vim radicis imitari, quam radix ramorum in suam vertere qualitate.

*Nolo enim vos ignorare fratres.* Hoc totum contra illos, ne superbiant gentes.

*Mysterium hoc.* Arcanum quod hominibus ignotum est, quare salvatae sunt gentes: quia occasione eis salutis etiam caecitas praestiterit Israel.

*De non sitis vobismetipsis sapientes.* Ne secundum humanam sapientiam dicatis: Nos Deus elegit, & illos abiecit.

*Quia caecitas ex parte contigit Israel.* In tantum Israel & delicta, & perfidia occuparunt: ut veniret tempus, quo gentes omnes admitterentur ad vitam: & ita omnis Israel per fidem solam salvaretur: quomodo gentium plenitudo vita aequales essent in Christo: quia inaequales fuerant in delictis.

*Donec plenitudo gentium intraret: & sic omnis Israel salvus fieret.* Tandem permansit, donec gentes salvatae viderent quod omnes vocati sunt ad salutem: sive ex Juda & Israel, & lege scilicet. Item hoc ostendit, quoniam intrante in fidem Christi gentium supplemento: tunc zelo & emulatione permoti reliqui populi Judaeorum, credentes in Christo salvi fiant. Praepone autem interdum Apostolus gentes, populo Hebraeorum in fide, ea ratione, quoniam etiam si aliquanti ex illis Christo crederent: tamen legis Moisaicae adhuc praeccepta servabant. Unde & ipsi postea exemplo gentium, Christianam fidem integrè custodire coeperunt. Non enim pro multitudine, plenitudinem dicit: sed quia repleti sunt à Domino nostro: sicut & ipse ait Paulus de credentibus. Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius, plenitudo ejus: qui omnia in omnibus adimplet.

*Sicut scriptum est: Veniet ex Sion qui eripiat, & avertat impietatem ab Jacob.* Quidam haec omnia futura existimant. Quibus respondendum est: Ergo & hoc testimonium: Veniet ex Sion qui eripiat Israel: adhuc futurum est, ut rursum Christus adveniat liberare: & à Deo pro tempore execrati sunt, & non semetipsis quid de illis, quomodo pereunt non credentes.

Tom. V.

*Et hoc illis à me testamentum, cum abstulero peccata eorum.* Testamentum novum quod promissit Jeremias: quod non nisi novi abolitis peccatis accipient.

*Secundum Evangelium quidem inimici, propter vos.* Inimici mihi sunt, propter quae vobis praedico, Christum prohibentes, non gentibus loqui ut salvae fiant.

*Secundum electionem autem charissimi, propter patres.* Si autem credant, charissimi sunt: dupliciter commendari.

*Sine poenitentia enim sunt dona, & vocatio Dei.* Si crederint, non illis poterunt imputari peccata: quia Dominum non poenitet Abraham semen promississe. Sive illi sine afflictione poenitentiae, si crederint, salvabuntur.

*Sicut enim aliquando & vos non credidistis Deo.* Quando adhuc illi credebant.

*Nunc autem misericordiam consecuti estis, propter incredulitatem illorum.* Non vestro merito.

*Ita & isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam.* Misericordia gentium, Christus est.

*Ut & ipsi misericordiam consequantur.* In tantum non crederunt: ut & ipsi operibus suis non iustificentur: sed misericordia, sicut & vos.

*Concluserit enim Deus omnia in incredulitate.* Non vi conclusit, sed ratione conclusit, quos invenit in incredulitate: hoc est, Judaeos omnes & gentes hic conclusit: quia antea Judaei peccatores tantum erant, non etiam perfidi: postquam autem Christum non crederunt, gentibus sunt aequales: & omnes similiter misericordiam consequuntur.

*Ut omnium miseretur.* Hac de causa.

*O altitudo divitiarum sapientiae & scientiae Dei.* Laudat sapientiam Dei: qui tamdiu expectavit secundum praescientiam, donec omnes misericordia indigerent: ut omnibus de falsa jactantia operum, gloria tolleretur.

*Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viae ejus.* Judicia Dei abyssus multa. Aliqui enim comprehendere non possunt.

*Quis enim cognovit sensum Domini?* Antè nemo cognovit: nam in praesenti ipse Paulus utique sciebat, qui alius ostendebat. Nos autem sensum Domini habemus. Sive legem ipsius per se nemo cognovit: & nemo peculiari Deo confabulatione instructus, doctrina non indiget legis.

*Aut quis consiliarius ejus fuit?* Ut ejus noverit sacramenta.

*Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Quis prior fecit aliquid boni, & non Dei misericordiam glorificet, sed suo se merito recepisse glorietur?

*Quoniam ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Ab ipso omnis creatura accepit initium, & per ipsum regitur, & in ipso omnia concluduntur, nec ipse continetur ab ullo.

*Ipsi honor & gloria in saecula saeculorum: Amen.* Ipse solus glorificandus est: cujus est etiam quod sumus, & vivimus, ac movemur. Simul etiam contra Arianos facit hic locus, cum dicitur, Deus id esse ex quo omnia, & per quem omnia facta esse monstrantur: si quidem omnia per verbum in principio facta, Evangelista signavit. Et quod de filio Evangelista testatur, hoc Apostolus, per unitatis mysterium, de Patre intelligendum edocet credendum.

#### Caput XII.

**O**BSECRO itaque vos fratres. Quia de sensu Domini dixerat: modo dicit, quales se exhibere debeant, ut sensum Domini habere mereantur. Huc usque de dogmatibus dicit: hinc jam moralia docet.

*Per misericordiam Dei.* Quia magis nihil est, per quam liberati sumus.

*Ut exhibeatis corpora vestra.* Quanto magis animam, non animalium, sicut in lege: quae tamen licet in figura fuerint, immaculata offerbantur, & viva.

*Hostiam viventem, sanctam.* Hoc est, castam, & alienam ab omni morte peccati.

*Deo placentem.* Domino, non hominibus tantum placeat, sive talis ei placet hostia.

*Rationabile obsequium vestrum.* Omne opus bonum tunc placet Deo, si rationabiliter fiat. Nam mercede privatur: ut puta si quis hominum causa jejuna bonum obsequium

P p p